


Nr. 60. 3.





D. JAC. HENR. A BALTHASAR  
S. THEOL. PROF. PRIM. ET SUPERINT. GENER.

MEDITATIO  
DE  
FORMA GRAMMATICA

VERBI מִזְבֵּחַ HOS. II. 14.

CUM

ALLOCUTIONE

AD

AUDITORES SUOS

CÆTEROSQUE SACRARUM LITERARUM CULTORES

IN

ACADEMIA, GRYPHISWALDENSI

PUBLICATA

ANNO MDCCCLIX.

GRYPHISWALDIAE  
LITTERIS HIERONYMI JOHANNIS STRUCKI



# GRAMMATICA Auditores Honoratissimi!



Non dubito, quin mentibus vestris adhuc infixum haereat, qua ratione in Praelectionibus meis *Symbolicis*, cum Graeca vocabula: σύμβολον & σύμβολή, οὐαρέν & οὐαρενίς, ἄδη, ὀμόσπον, παθολός, θεοτόνος & θεότονος, χειροτόνος & χειρότονος, aliqua hujus generis, ex Grammatica Græca & antiquitate ecclesiastica explicare, vos ad affidum Grammatica & linguas Graecas studium excitaverim, ut inde de rebus ac controversiis Theologicis accuratum ferre discatis judicium. Jam, ut officii mei partes impleam, quo Theologia mysteria publice vos docere obstrictus sum, præsenti allocutione ad accuratam quoque Grammatica & linguæ Elæea notitiam vobis comparandam, hortari vos placet.

Quanta illius sit necessitas, quanta in Studio Theologico utilitas, ut sine illa nemo genuini Theologi, vel ecclesiæ Doctoris, aut Pastoris, nomen mereatur, qui non alienis tantum, sed propriis etiam videat oculis, non alieno solum, sed proprio quoque judicio de rebus Theologicis differat, non ex sola versione, quæ sæpius humana tantum & falsa, sed ex ipso fonte ea, quæ ipse, diligenter instituto examine, divina esse agnovit ac judicavit, proponat aliosque doceat, qui denique mysteria quoque divina novis interdum rationibus ac fundamentis, ex fonte desuntis, confirmare valeat; hoc, inquam, vel ex sola GLASSII Prefat. ad Lectorem, Lib. III. & IV. Philologie Sacra (quem librum, tanquam incomparabilem linguarum sacrarum thesaurum,

saurum, vobis commendo enixissime) præmissa, ejusque *Orat. de lingue Ebræe necessitate & utilitate*, Libro II. Philologie S. annexa, cognoscere potestis. Quanta vero etiam hujusmodi Theologorum & Pastorum, vel Theologiae Studiosorum, sit penuria, tristis quotidie docet experientia, in primis, ubi examina instituuntur Theologica & Pastoralia. Doleo temporum nostrorum calamitatem, in quibus studium linguarum sacrarum frigescere incipit. Nec sine metu & dolore futura ecclesia nostræ, in primis Pomeranice, fata cogito, si, quæ haec tenus in officio meo ephoriae generalis expertus sum, sic continuentur.

Evigilate igitur, CIVES CARISSIMI, & agite, quod vestri est officii, ut bonam conservetis conscientiam, nec illotis, quod ajunt, manibus sacrum officium ecclesiasticum suscipiatis, sed, digna facta præparatione, studiisque, ad sacrum munus rite obeundum necessariis, studiis, inquit, sacrarum linguarum probe imbuti, bona illud conscientia rite ambire atque administrare possitis. Occasio in Academia nostra vobis non defert. Et, licet fortassis in uno alteroque aliquid desideretis: præsto tamen sunt alii, qui diligentia vestrae inservire possunt. Ego, jam senex, & a primo vita termino Mosaico parum distans, hæc vobis vestrisque commilitonibus relinquimus. Deus vero ipse mentes vestras suo sic collusret lumine, ut, quæ vobis totique ecclesia salutaria sunt, recte agnoscatis & peragatis.

Ut interim ex aliquo specimine, levioris licet, quorundam opinione, momenti, vobis tamen intellectu & judicatu facili, intelligatis, quem usum etiam in mysteriis divinis præstare queat accuratio Grammaticæ Ebrææ cognitionis, & quomodo vulgares fontium interpretationes judicandæ sint, veniam, ut Cap. II. evolvatis HOSEÆ, ejusque *vers. 16.* in quibusdam codicibus Ebræis, in aliis vero, & LUTHERI nostri versione, *vers. 14.* Ibi verba ita fluunt: *לְכָן הַנֶּה אֱנֹךְ בִּפְתִּיחָה וּוְלְכִתּוֹה חֲמֹרְכָּה*. Hæc, & in illis participiis quoque, omnes interpres & commentatores, quotquot mihi evolvere licuit, in singulari vertunt: *Quapropter, ecce, ego alliciam illam, & ducam illam in desertum.* Et, licet *הָנֶה*, ordinarie sit suffixum pluralis nominis: nemo tamen hic de participiis numero plurali cogitavit, cui illud secundum analogiam grammaticam jungi posset, cum participia nominum naturam sequuntur. Sed omnes, singularibus antecedentibus & consequentibus stricte inherentes, hic quoque Participium Piel singularis numeri, *בִּפְתִּיחָה*, bona fide agnoverunt.

Jam vero, ubi de terminatione י „, ordinaria suffixi nominis pluralis forma, sententiam suam exponere, eamque cum participio singularis numeri conciliare volunt, in diversissimas, ut fieri solet, ubi Grammaticæ regulas non accurate observamus, abeunt opiniones.

I. Judæi, R. D. KIMCHI in *Comment. Biblii Buxtorfianis* inserto, & R. SALOMO BEN MELECH in *Michlal Jophi*, dicunt, Jod esse loco tertiae rad. י, alias, accedente suffixo, abjiciendæ cum puncto prævio, hic vero in Jod mutata, manente etiam illius puncto prævio, י, cui deinceps adjetum suffixum י, observata *Grammatica Danziana* §. 39. IV. obs. 3. Vel, Sægol ad suffixum י, referentes, solum Jod pro tertia radicali י positum esse dicunt, sine quo legendum sit י. Hos sequuntur BUXTORFIUS in *Lexico Bibl. VATABLUS* in *Criticis Anglicanis*, PRUKNERUS in *Vindictis Biblicis*, SIXTINUS AB AMAMA in *Coronide ad Grammaticam Ebraeam*, p. 286. OPITIUS in *Lexico*, aliquie plures.

II. Secundum alios Jod per epenthesin insertum est. Et quidem, ut AVENARIUS loquitur in *Grammat. Ebraeae*, P. III. p. 493. ad producendum Sægol, exemplum addens simile: מִתְעַנֵּן, Gen. XVI. 6. Conf. Ejusdem *Liber radicum*, & Dn. HIRTIUS in *Bibliis Hebreis analyticis*. Qui tamen, ad evitandam epenthesin, alias quoque commendat regulas Danzianas, non sine longis ambagibus applicandas.

III. Alius, iterum Jod *eponheticum* fingens, dicit, propter accentum dominum, Sakephkaton, pro (:) sub י haberi Sægol.

IV. Est, qui statuit, omnia hic plana & perspicua esse. Dicit, Verbum esse מִפְתָּחָה. Unde, abjecta tertia radic. י cum puncto prævio, additoque suffixo 3. perf. fem. gen. pluralium nominum, fiat מִפְתָּחָה. Suffixum vero pluralis nominis adjici, quod designet Synagogam adulteram, objectum multitudinis, quemadmodum vers. 14. legatur וְיִשְׁמְתֹר וְיִשְׁמְתֹר ponam illos, cum suffixo plurali nominis singularis.

V. Dici quoque posset, singulare esse מִפְתָּחָה, abjecta 3. rad. י cum puncto prævio, additoque suffixo י, cum matre lectionis Jod. De qua videatur DANZII *Rabbinismus*, §. 25.

VI. Denique ex DANZII *Grammat.* §. 39. II. obs. 4. IV. exc. 1. statui posset, irregulariter participio singulari, מִפְתָּחָה, abjecta 3. rad. cum puncto prævio, adjectum esse suffixum nominis pluralis, ut Jes. XLVII. 13.

Istæ

Istæ sunt diversæ illæ, hactenus a me observatae, opinione de verbo מִתְהַדֵּה. Jam, qua ratione judicandæ sint, vobis ostendendum est. Fiet, si prius sequentem notaveritis regulam: *In additione suffixorum tria sunt obligatoria. I. Numerus nominis, suffixo augendi. Qui si singularis est, suffixo desumuntur ex Schematis Danziani §. 39. latere sinistro. Si dualis, vel pluralis; ex dextro. II. Numerus suffixi addendi. Qui si singularis, suffixa desumuntur ex ejusdem Schematis classe superiore. Si dualis, vel pluralis, ex inferiore. III. Genus personæ, vel rei, suffixo designanda. Quo cognito, ad literas Schematis C. F. M. respiciendum est.*

Atque secundum hanc regulam statuendum est; Si nomen, vel partitum, admittimus singularis numeri, מִתְהַדֵּה; hic cum suffixo scribendum esse מִתְהַדָּה, vel מִתְהַדָּה, non vero מִתְהַדָּה. Quid ergo de inserta litera Jod eique præmisso ſagol variisque adductis opinionibus sentiendum est? Respondeo:

I. Judæorum ſententiaz opponi potest. 1. Quod adverſetur regulæ ordinariae: בְּ ante ſuffixa mutatur in בְּ. Aliud בְּ quocunque tollitur. 2. Quod ſine neceſſitate aſſumta fit, & a Judæis quidein, ut videtur, ex ignorantia, vel odio Trinitatis. 3) Quod conſuſionem pariat ſuffixorum nominis singularis & pluralis, lectorum reddens dubium de ordinaria forma ſuffixi nominis pluralis, cum hic, illa non obſtante, ſine neceſſitate credere jubet ſuffixum nominis singularis. 4) Quod denique detrahat de fundamen‐tis ſacrosancti mysterii Trinitatis.

II. Nec altera regulis conformis eſt. Jod *epentheticum* producere dicitur ſagol. Sed, quare & unde? ſagol jam aderat in ſuffixo בְּ, voci בְּ, obſervata DANZII Grammat. §. 39. I. obſ. 2. addendo. Nec producere potest ex (.) Non enim datur ſuffixum בְּ. Nec, fi Schva ſub בְּ ex DANZII Grammat. §. 3. obſ. 1. derivare velis, ſuffixum בְּ. Nec denique Jod epentheticum ſimul adferre ſecum debuit (.) prævitum, jam in ſuffixo præfens. Præterea absque neceſſitate non ſunt fingenda literæ epentheticæ, vel plane otioſæ, vel periculum creantes conſuſionis. Nec obſlat בְּ Genes. XVI. 6. Illud enim, fi alia ratione ſalvari non poſſet, tutius referretur ad DANZII Grammat. reg. 39. IV. exc. 1. WASMUTHUS in Hebr. reſtit. reg. 34. m. 1. exc. 1. Jod habet pro tertia rad. בְּ. Sed, non legitur Jod in omnibus Codicibus Ebræis.

III. Tertia opinio iisdem refellitur rationibus. Nec accentus dominus Schva mutare potuit in Sægol, quia Schva non adfuit. Præterea in פְּנַיִם, quod cum nostro comparat AVENARIUS, adeo Sægol cum accentu fero.

IV. Quarta peccat contra regulæ, a nobis adductæ, membrum 2. Si enim suffixum multitudinem designare debet: non pluralis nominis suffixum singulare, sed singularis nominis suffixum plurale requiritur, **טַבְתָּ**, ut in **אֶכְלָתָה** & **שְׂמִתָּה** vers. 14.

V. Matres lectionis in scriptis quidem Rabbinorum, non punctatis, sunt frequentissimæ: In Codice vero biblico punctato non temere admittenda, in primis, si periculum oritur confusionis, & lectores redduntur dubii, ipsæ que sua præsentia ad sensum generandum sint succundæ.

VI. Ad ultimam respondeo, ordinariam vocis formam semper retinendam esse, quamdiu commode fieri potest.

Jam ergo, quia יְהָ ordinarie est suffixum tertiae sing. scm. *nominis pluralis*: hic etiam, quia commode fieri potest, participium assumere oportet *pluralis numeri*, מִפְתַּח, cui suffixum singulare יְהָ jungatur, abjecta terminatione numeri pluralis, secundum DANZII Grammat. §. 39. II. Et vertendum est: *allicientes eam*, ut hoc ipso capite vers. 12. 15. מִפְתַּח, *amatores suos*. מִאֲחֻבָּה.

Sed, quid numerus pluralis מִתְוַיָּה significet, iam porro queritur. Ego jam A. 1715. cum Berolini essem, in sic dictis Berlinischen Hebdopfern, P. IX. p. 777. cogitationes meas exposui, quod personarum divinarum pluralitas (non determinata Trinitas, ut dicto loco scripti) hac pluralis numeri voce significetur. Nec eo tempore quicquam opposuit B. REINBECK, ut in paginis reliquis. Atque idem nunc iterum in mentem rediit, cum hunc locum Hosea legerem. Nec me hujus meditationis pudet, sed jam vestro quoque judicio, *Auditores Honoratissimi*, illam submitto. Non quidem placet Viro cuidam doctissimo, hodieque celebri LL. OO. Professori publico, in *Lectionibus cursoriis Mstis* Iudaorum sententiam probanti: aliam tamen non additam video rationem, nisi, quod ne quidem in N. T. Deus de se loquatur numero plurali. An recte & plene mentem illius expresserint Auditores ejus, non definio. Interim non simpliciter negabit Vir doctissimus, Deum in Novo quoque Test. de se loqui numero plurali. Vid. Job. XIV. 23. X. 30. III. 2. GLASSII Philol. S. p. m. 906. Et, licet haec loca non ubivis con-  
veniant

veniant cum nostro obscurore ex V.T. docent tamen, Deum in novo etiam testamento de se <sup>et qui</sup> numero plurali, & quidem longe clarus, ubi, præter verba pluralis numeri, ipsæ quoque personæ divinæ distinctis & expressis nominibus designantur. Multo vero minus concludet vir doctissimus absolute, Deum in V.T. nullibi de se uti vocibus pluralis numeri. Fortassis in ipso Hofea ejusque Cap. VII. 5. cum B. Dn. D. GEBHARDI nostro hoc observabit in voce מִלְכָנוּ. Alia loca satis nota sunt. Si vero alibi hoc factum est: Cur non hoc quoque loco? Cur non hic quoque agnoscamus pluralem? Judæos hoc non admittere, mirandum non est. Christiani vero facilius concedere possunt. Ego, fane, nihil obstare video, vel hoc impediens, vel contrarium jubens.

Hujusmodi phrases, ut h. l. occurrit, **אנכי מפתחה**, distributive explicantur in GLASSII Philol. S. Lib. 3. tr. 3. can. 53. & DANZII Interpr. §. 81. Idem h. l. fieri potest: *Ego sum personæ, allicientes eam. Pater, alliciens eam. Filius, alliciens eam, & Spiritus S. alliciens eam, & ducam illam in desertum.* Si exemplum vis parallelum, videoas Exod. XX. 2. 5. *Ego sum Jehovah, personæ, a Te colendæ. Pater, a Te colendus. Filius, a Te colendus, & Spiritus S. a Te colendus, qui eduxi te.* Plura hujus generis ex Concordantiis colligi possunt. Vid. interim Deut. V. 6. 9. Ps. L. 7. Jes. XL. 10. Ezech. XXXIV. 31. Eademque est ratio pronominalium: **זה הוא אתה**. Add. Job. XXXV. 10. Jes. LIV. 5. XLII. 5. Ps. CXLIX. 2. Eccles. XII. 1.

Pro numero singulari vocis excipere non licet, **אנכי מפתחה** ordinarie construi cum singulari, ut hoc ipso vers. cum רֹבֶרְתַּי & וְחַלְכָתֵיהֶן, cum plurali vero extra ordinem, ideoque hic **מפתחה** pro singulari, non plurali, habendum esse. Valeret hoc, si in singularis forma æque esset *ordinaria, certa & conspicua*, ut in **רֹבֶרְתַּי & וְחַלְכָתֵיהֶן**, vel, ut forma est pluralis. Jam vero singularis forma cum Jod extraordinaria est & incerta, ad sensum nihil confert, sed lectorem reddit dubium, ideoque *ordinarie* plurali, certum sensum determinant, merito postponenda. Tutius est ordinariæ vocum formæ, tanquam primo interpretationis principio, stricte inherere, licet facta sit constructio extraordinaria, quia per idiotismum lingue sanctæ fieri potuit ad insinuandum mysterium, quam, ad ordinariam constructionem sine necessitate conservandam, formas fingere vocum extraordinarias, incertas, ad sensum nihil conferentes & lectorem reddentes dubium. Ex forma vocum ordinariæ judicandæ sunt constructiones, per idiotismum lin-

guæ

guae sanctæ sœpe extraordinariæ, & insinuando mysterio inservientes. Non vero ex constructionibus semper judicare licet formas vocum grammaticas. Bene RAMBACHIUS in *Hermenevt.* S. p. 255. *Per voces non solum nomina & verba, sed omnia etiam genera particularum, quin & prefixa & suffixa Ebrorum, intelligimus, siquidem ab hisce etiam multum sœpe momenti pendet.* — *Interim hinc apparet, minimos etiam apices (ut b. l. Jod) in interpretatione locorum non esse negligendos.*

Cæterum, postquam haec scripsi preloque jam commisi, ex literis reverendi cuiusdam Pastoris, fratri & amici mei, inter paucos dilectissimi, intellexi, eandem, quam hic exposui, sententiam de numero vocis plurali, Ao. 1729. in Prælectionibus suis tradidisse Dn. C. B. MICHAELIS, Acad. Halens. Professorem celeberrimum, in Subsidium vocatis dictis *Eccles. XII. 1.* & *Job. XXXV. 10.*

Legite haec, *Cives Optimi.* Judicete. Et, si vera esse cognoveritis, agnoscite non solum generatim singularem utilitatem accuratoris cognitionis Grammaticæ Ebrææ; Sed speciatim etiam, quem usum illa præstare possit in novis investigandis fundamentis mysteriorum divinorum. Apprehendite haec & in usus vestros convertite strenue. Ego interim non desinam vestris ulterius inservire studiis, quantum negotiorum meorum multitudo & crescentes senectutis infirmitates permittent. Deus vero, summus Academicæ nostræ Stator ac Conservator, omnium Dn. Professorum omniumque Commilitonum vestrorum animos ad parem sic excitet diligentiam, studiisque nostris largissimam affundat benedictionem, ut literæ in Academia nostra florent, & Cives in illa formentur, & rei publicæ aliquando & ecclesiæ utiles. Sic felicem prædicabimus patriam.

Sic felices prædicabimus nos ipsos.

---

Scripti Gryphivaldia, A. MDCCLIX. die 28 Augusti, quo ante hos XIII. annos, Dominica XII. post Trinitatis, publico Ephoriæ generalis iuueni solenni inauguratione præfetus sum.





Mainten p 25

13. 6.  
27.


Id 6020

(I)

X 2284726

M.





D. JAC. HENR. A BALTHASAR  
S. THEOL. PROF. PRIM. ET SUPERINT. GENER.

MEDITATIO  
DE  
FORMA GRAMMATICA  
VERBI מִתְחַדֵּה HOS. II. 14.

CUM

ALLOCUTIONE  
AD  
AUDITORES SUOS

CÆTEROSQUE SACRARUM LITERARUM CULTORES  
IN  
ACADEMIA GRYPHISWALDENSI  
PUBLICATA

ANNO MDCCCLIX.

GRYPHISWALDIAE

LITTERIS HIERONYMI JOANNIS STRUCKI

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt  
urn:nbn:de:gbv:3:1-132354-p0017-5